



Indictio Congressus Generalis A. D. MMVI in Alma Urbe celebrandi

Admodum Reverendis DD.
PP. Praepositis Congregationum Oratorii S. Philippi Nerii
earumque Sodalibus
salutem in Domino

Praecipientibus Statutis nostris Generalibus: «*Congressus Generalis [...] ex regula sexto quoque anno in Urbe celebratur*» (n. 38), Deputatio Permanens Confoederationis Oratorii S. Philippi Nerii Congressum Generalem in Alma Urbe anno Domini MMVI a die 24 ad diem 30 mensis septembris celebrandum statuit.

Quapropter infrascriptus Procurator Generalis, de eiusdem Deputationis Permanentis mandato, id publice perscribimus atque Praepositos, Congregationum Delegatos et Patres qui in Statutis Generalibus, n. 39 indicantur, formaliter vocamus ad acta explenda quae in n. 41 eorundem Statutorum sunt descripta.

Tractanda in Congressu insuper est “Ratio formationis”, cuius textus tamquam “Instrumentum laboris” a Deputationis Permanentis Secretario singulis Congregationibus iam missus, accurate revisus brevi temporis spatio mittetur.

Tractandum denique est et de propositionibus circa nonnullas mutationes in Statutis Generalibus faciendas, quarum textus adnectitur, lingua latina et italica exaratus: ad rerum facilitandum examen, Deputati, congruo tempore, textum in idioma suae areae translatum ad Congregationes mittent, quamvis latina et italica lingua confectus officialis maneat.

Intercedentibus Beatissima Oratorii Matre et Regina et Sancto Patre nostro Philippo, Spiritum Sanctum supplici praece exoremus ut Congressus Generalis praeparationi sua gratia faveat eiusque sessionibus benignissime adsistat.

Datum Romae, ex Aedibus Procurae Generalis, die XXIII septembris, a. D. MMV, Pontificatus SS. D. N. Benedicti PP. XVI anno I.

Eduardus Aldus Cerrato, C.O.
Procurator Generalis